

**Zeitschrift:** Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica

**Band:** 30 (1973)

**Heft:** 3

**Artikel:** De codicum Lucretii Italicorum origine

**Autor:** Müller, Conradus

**DOI:** <https://doi.org/10.5169/seals-24380>

### **Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

### **Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

### **Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)


**Download PDF:** 15.10.2024

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>**

# De codicum Lucretii Italicorum origine

*scripsit Conradus Müller Bernensis*

## STEMMA CODICUM



Codices deperditi Graecis, qui exstant Latinis litteris significantur

## SIGLORUM EXPLICATIO

$\Omega$  = codex protarchetypus capitalibus litteris scriptus (s. IV/V)

$\omega^I$  = codex minusculis litteris ex  $\Omega$  descriptus (circa annum 800)

$\omega^{II}$  = codex archetypus

O = codex Leidensis Vossianus *Oblongus*

$\psi$  = parens codicum Q, G + V, U

Q = codex Leidensis Vossianus *Quadratus*

G = schedae Gottorpienses

V = schedae Vindobonenses priores

U = schedae Vindobonenses alterae

O\* (Q\*) = Oblongi (Quadrati) scriptura nondum correcta

O<sup>c</sup> (Q<sup>c</sup>) = Oblongi (Quadrati) scriptura correcta

O<sup>s</sup> = Oblongi corrector Saxonicus

II = codex a Poggio Florentino anno 1417 in Germania repertus

$\pi$  = apographon codicis II quod Poggius faciendum curavit et anno 1418 Florentiam misit

*Codices Italici:*

P = Parisinus lat. 10306

L = Florentinus Laurentianus 35, 30

F = Florentinus Laurentianus 35, 31

C = Cantabrigiensis

A = Vaticanus lat. 3276

B = Barberinus lat. 154

b = Basiliensis F. VIII. 14

+ hac nota ad sigla PLFCABb adposita usus sum ut significarem alios quosdam codices Italicos a Wakefieldio<sup>1</sup>, Munrone, Hosio<sup>2</sup>, Merrillio<sup>3</sup> uel conlatos uel inspectos cum iis qui quoque loco indicantur consentire.

De codicibus Italicis quo certius constaret, cum nec Martini adnotationi errorum plenissimae satis confiderem et apud Buechnerum multa quae ad necessitudines codicum cognoscendas pertinerent desiderarem, ad codices LFAB a Martino et Buechnero conlatos addidi P et b quos ipse contuli. praeterea usus sum eis quae Wakefieldius et Munro ex C(antabrigiensi) adnotauerunt.

Lucretii carminis memoria quomodo quam tenui filo per medium quod dicitur aeuum usque in XV. saeculum propagata sit et codicum quae sint origines cognationesque, ex stemmate supra adumbrato facile cognosci potest. omnis igitur memoriae Lucretianae quasi fons fuit unum exemplar antiquum  $\Omega$ , quod quarto quintoue saeculo litteris capitalibus gracilioribus, quales in codice Vergilii Mediceo conspiciuntur, scriptum fuisse Lachmannus docuit. id exemplar *protarchetypon* Carolo Magno regnante in Francia a monacho aliquo neque Latinae linguae satis perito neque admodum diligenti descriptum est litteris minusculis ( $\omega^I$ ). atque in eo transitu a capitali litteratura ad minusculam uerba Lucretii multis damnis adfecta sunt cum uocabulis perperam distractis tum litteris quibusdam solito errandi genere inter se permutatis ut I et T, I et L, L et T, F et P, F et T, T et P, O et Q, C et G<sup>4</sup>. sed illud quasi biuium a quo altera semita ad Oblongum ducit altera ad  $\psi$ , qui et Quadrati et schedarum G V U parens fuit, non in  $\omega^I$  fuisse, multi errores ex litteratura minuscula nati declarant, in quibus Oblongus cum Quadrato schedisque consentit. minusculae autem scripturae proprias esse constat cum aliarum litterarum permutationes tum harum inprimis *a* et *u*, *n* et

<sup>1</sup> Ipsa Wakefieldii editione uti non potui. quae ex Wakefieldianis codicibus attuli, omnia sumpsi ex Forbigeri editione (Lipsiae 1828) Lachmanni conuiciis famosa.

<sup>2</sup> Rh. M. 69 (1914) 109sqq.

<sup>3</sup> Univ. Calif. Publ. Class. Phil. 9 (1926–29) 27sqq. 207 sqq. – Merrill in codicum scripturis adferendis tam indiligerenter imperiteque uersatus est, ut ex ampla eius congerie exiguum perceperim fructum.

<sup>4</sup> Litterarum capitalium inter se permutatarum exempla quaedam collegit Aemilius Chatelain in praefatione qua simulacrum codicis Oblongi phototypicum Lugduni Bataurum anno 1908 editum instruxit, quibus exemplis alia addi possunt non pauca.

*u, o et e, s et f, p/r/n/s, n et ri* (cf. 3, 1011 *funae* pro *furiae*)<sup>5</sup>. ergo inter uetustissimos quibus adhuc utimur testes (O Q schedas) et illud protarchetypi apographon  $\omega^I$  aliud intercessisse exemplar  $\omega^{II}$  necesse est, cuius scilicet librarius eos quos modo diximus aliosque errores similes in describendo  $\omega^I$  commisit. itaque  $\omega^{II}$  fuit is codex quem *archetypum* codicum superstitum merito appellamus<sup>6</sup>, atque illud quod Lachmannus cum ex uersibus in extremo libro primo aut mutilatis (1068–1075) aut omissis (1094–1101), tum ex uersuum quarti libri 323–347 et 299–322 ordine turbato et ex quattuor carminis particularum quinquagenos binos uersus complectentium in alienum locum translatione sagacissime intellexit, fuisse in singulis archetypi paginis uersus uicenos senos, id non ad  $\Omega$  (ut Lachmannus uoluit) sed ad  $\omega^{II}$  pertinet.

Oblongum codicem haud paulo maiore diligentia scriptum esse quam Quadratum et schedas atque omnino fide digniorem esse, inter omnes conuenit; id ambigitur, de librorum Italicorum origine et auctoritate quomodo sit iudicandum. atque Hermannus quidem Diels ea de re ita sensit ut illum librorum Italicorum parentem *II*, quem a Poggio Florentino bibliothecas monasteriorum Germanicorum perscrutante anno 1417 inuentum esse constat<sup>7</sup>, ex ipso Oblongo ortum esse diceret; ii autem uiri docti qui nostra aetate Lucretium ediderunt (I. Martin, Lipsiae 1934, 1963; Leonard-Smith, Madison 1942; C. Bailey, Oxonii 1947), Lachmannum secuti auctorem praeter nobilissimos codices Oblongum et Quadratum cum schedis tertium quoddam genus constituunt librorum Italicorum, quod genus ab ipso archetypo oriundum esse uolunt eiusque parenti *II* dignitatem non parem illam quidem ac uetustis illis testibus (Oblongo dico et Quadrato) sed tamen aliquam inesse opinantur<sup>8</sup>. sed hos uiros argumentis partim aperte falsis partim obscuris et infirmis<sup>9</sup> in errorem inductos esse, Dielsium uerum uidisse, post accuratam

<sup>5</sup> Huiusmodi quoque errorum exempla aliquot attulit Chatelain loco in superiore adnotatione indicato.

<sup>6</sup> Codex archetypus maiusculis an minusculis litteris scriptus fuisset, subtiliter disputando quaesiuit Sebastianus Timpanaro in libro docte eleganterque scripto *La genesi del metodo del Lachmann* (Florentiae 1963) 102–108.

<sup>7</sup> Cf. R. Sabbadini, *Le scoperte dei codici latini e greci* 2 (1914) 192.

<sup>8</sup> Nuper C. Buechner (Wiesbaden 1966) librorum Italicorum patrocinium ita suscepit, ut eorum originem etiam supra archetypum codicum qui extant antiquissimorum repetendam esse contenderet. nolui tempus perdere in mirificis contortulisque uiri docti ratiunculis refellendis; quas omni fundamento carere quibus ex iis quae hic disputauimus facile intellet.

<sup>9</sup> Martinus in praefatione editionis Teubnerianae anni 1963 p. IXsq. locos sane multos con-gessit quibus ostenderet parentem librorum Italicorum ex ipso archetypo fluxisse; nec tamen id quod uoluit adsecutus est. nam eorum quos attulit locorum alios codicibus inspectis ibi non ita ut ille dixit scriptos esse repperi, alii autem tam exiles et ambigui sunt ut nihil certi ex iis colligi posse uideatur. exemplo esse possunt quanta negligentia imperitiaque Martinus in toto hoc negotio uarietatis librorum adferendae uersatus sit, duo loci, de quibus si uera ille adnotauisset, maximi momenti essent ad iudicium de libris Italicis faciendum. 1, 699 *enim*, quod in Italicis legitur, in O deesse dicit. at illud *enim* non deest in O sed usitato compendio H scriptum est. tum capitulum DE ANIMA ad libri primi uersum 112 pertinens in O post uersum 112 scriptum esse falso adfirmat; nam O quoque hoc capitulum suo loco ante uersum 112 habet. hos errores aliosque satis multos Martinus ex apparatu Dielsianae editionis imprudens exscripsit; ex quo apparet eum non codices contulisse sed Dielsii apparatus compilasse.

librorum Italicorum peruestigationem pro certo adfirmamus. nam *II* ex Oblongo, non ex archetypo fluxisse indiciis declaratur tam multis tamque manifestis, ut contra si quis sentiat nil sentiat.

Ex ipso igitur archetypo codicem *II* ortum esse non posse, ex hoc intellegitur quod omnibus locis, ubi Oblongus uerbis syllabisue omissis mancus est, in libris Italicis aut idem uitium aut interpolatio aperta deprehenditur. cuius generis iam aliquot exempla e pluribus selecta proponam.

4, 77 *flutant* Turnebus] *fluctus* Q: om. OPLAB +: *circum* temeraria coniectura suppletum in FCb.

5, 884 *floret ecus, puer haud quamquam, nam saepe etiam nunc* Q recte, nisi quod *quaquam* scribendum est: *nam* om. OPLFCABb. uersus damnus sarcire conati sunt et FC inuita Minerua sic scribentes *haud ita quamquam*, et satis scite Marullus sic *haud quamquam, quin*.

3, 52sq. *et nigras mactant pecudes et manibus diuis inferias mittunt* ita recte Q: *et* alterum quod post *pecudes* est om. OPLAB+. uersum curtum expleuit F inserto *quas*.

6, 1040 *ille* Lachmann] *illo* QU: om. OPLABCb: *atque* F.

6, 1078 *non res auro* QU: *non* om. OPLFABb+. hic grammaticos Italos non uidisse particulam negatiuam desiderari non est mirum; id enim ex orationis conformatione haud facile intellegi poterat. itaque mendum in alia uersus parte inesse suspicati coniectando aberrauerunt a uero (uelut in b pro *copulat* scribitur *concopulat*, quod etiam in impressos libros aliquos inuasit).

3, 1008 *ut opinor* Q: *ut* om. O itemque ex Italicis P et L; ex quo intellegitur particulam afuisse illam quidem a *II*, sed in FABb reliquis emendatione perfacili restitutam esse.

4, 166 huius uersus uerbum extremum, quod debebat esse *omnis*, in Q corrupte scribitur *oris*, ab O plane abest; Italicos omnes (PLFCABb+) occupauit interpolatio inepta *illud*.

6, 768 *nam de re nunc ipsa dicere* QU recte

*nam nunc ipsa dicere* OLB itemque sex Florentini ab Hosio (Rh. M. 69 [1914] 116) commemorati

*nam nunc ipsa tibi iam dicere* P

*nam nunc ipsa quidem tibi dicere* A

*nam nunc ipsa de re dicere* FCb

*namque ipsa de re nunc dicere* ed. Iunt. 1512.

hoc ultimum exemplum uidetur inprimis esse memorabile. uides et in P et in A sed in utroque alia ratione inculcatis inanibus quibusdam uerbis uersum inscite esse suppletum. at in FCb ea ipsa uerba *de re*, quae in O et Italicis plerisque desiderantur, reposita sunt sed loco non suo, ut uersus fieret durissimus. tandem is qui editionem Iuntinam curauit et illo *nunc* ante *dicere* transposito et eo quod est *nam* mutato in *namque* uersum nimis horridum ita perpoliuit ut numerorum offensionem tolleret; ueram uersus formam quam Q U seruauerunt ut restitueret ei

non contigit. ceterum ne quis forte opinetur uix potuisse fieri ut haec quae in FCb comparent uerba *de re* ab emendatore Italo sola diuinandi sollertia reperirentur uiderique ea potius ex archetypo manasse, nulla hic diuinatione opus fuit: nimirum locus huic quo de agimus similis infra uersu 979 legitur, unde ea quae hic deerant sumi potuerunt.

Addam syllabarum omissarum exempla quaedam:

2, 1047 *peruolet* QV: *uolet* OPLFABb+.

2, 1054 *seminaque* QV: *semique* OPLFABb.

1, 1076 *feruntur* QG: *ferunt* OPL; uersum decurtatum ut aliquo modo redintegrarent, AB scripserunt *fuerunt*, Fb *ferunt se*.

4, 470 *quoniam* Q: *quo* OPLFABb+. Fb aliique nonnulli uersui laboranti ita opem ferebant ut *se* ante *scire* interponerent (*quo nil se scire*).

4, 1168 *mammosa Ceres est* Q: *mammo sacer est* O atque ita C et tres alii ex Wakefieldianis, item Bodleianus Hauercampi et Alteri Vindobonensis, a quibus paene nihil differt b in quo scriptum est *inanimio sacer est*, nec multum discrepant P et L in quibus est *mannio sacer est*, idemque dicitur esse in impressis uetustissimis. quae cum ita sint, dubitari nequit quin Italici omnino omnes habeant illud *sacer est*, quamquam neque Martin neque Buechner de LFAB quicquam adnotauit.

In librorum Italicorum fonte II easdem omnes fuisse lacunas quibus Oblongus affectus est, his quos percensuimus locis iam satis uidetur esse demonstratum. qui loci quantum ponderis habeant ut recte aestimari possit, sciendum est earum lacunarum quae Quadrati schedarumque propriae sint, nulla usquam in Italicis adesse uestigia, nisi quod 4, 418 *ut* particulam Italici pariter cum Q omiserunt. sed cum talis congruentiae nullum aliud exemplum in tot milibus uersuum reperiatur, hunc locum unicum solumque nullius momenti esse perspicuum est, praesertim cum illa particula a librariis saepius praetermissa sit. intercidit<sup>10</sup> enim *ut* in archetypo quinquies (3, 254. 347. 458. 493; 6, 116), in O semel (3, 1008), quinquies in Q (2, 475; 4, 282. 418. 655; 5, 851), tum singulis locis in QV (3, 621) et in U (2, 272), duobus in V (3, 339. 500).

Ex iis quae hactenus disputauimus apparet planissime codicem II ex ipso archetypo ortum esse non posse. reiecta igitur ea opinione quam reiculam esse diximus, relinquitur ut sit alterum de duobus: aut enim exemplar aliquod necesse est inter archetypum et OII interiectum fuisse, ex quo fonte communi et O et II separatim uterque fluxisset (quae Bernaysii fuit sententia, Rh. M. 5 [1847] 570), aut II ab ipso Oblongo originem accepisse putandus est (id quod post Dielsium Richardus Heinze ita adfirmavit ut nulla tamen argumenta adferret, DLZ 1924, 41). hoc igitur iam quaerendum est, utrum II Oblongi frater fuerit an filius. quod ut diiudicare possemus effectum est opera duorum correctorum qui coniecturas suas ineptas et nonnumquam plane nugatorias atque adeo portentosas in Oblongum passim intulerunt. illa enim mediæ aevi commenta absurda atque peruersa, quae in Oblongo prioris scripturae radendo adscribendo superscribendo immutatae

<sup>10</sup> Locos ex adnotatione Dielsiana excerpsti, nec dubito quin unus alterue me fugerit.



obscurataeque locum occupauerunt, in Italicis libris in ipso uerborum contextu posita comparent. quae res cum accedat ad illam mendorum lacunarumque maiorum minorum communionem conuenientiamque, quam inter *II* et *O* intercedere supra ostendimus, dubitari non potest quin *II* ex Oblongo et eo quidem iam correctorum inscitia et temeritate deprauato descriptus sit.

Iam locos aliquot recensebo quibus id quod dixi et inlustretur et comprobetur. quorum locorum cum duo sint genera – nam partim uerba sana et plana quia non intellegebantur a bonis monachis corrigendo corrupta sunt, partim uitia satis quidem leuia infeliciter temptata et in peius mutata sunt – initium faciam ab iis locis ubi correctores imperiti integris uerbis, quae in Oblongo prima manu recte scripta erant, damnum attulerunt.

- 1, 486 <sup>r</sup> *stinguere* O (*r* additum a correctore): *stringere* PLFABb.
- 1, 857 *reccidere* O\*Q (*recidere* G): *recedere* O<sup>c</sup> (*e* ex *i* corr.): *recedere* PLFABb+.
- 1, 977 *probeat* O\*QG: *prēbeat* O<sup>c</sup> (*ē* ex *o* corr.): *pr(a)ebat* PLABb+: *prohibeat* F.
- 1, 1061 *suppa* O\*QG: *supra* O<sup>s</sup> (*r* in rasura): *supra* PLFABb+.
- 2, 265 *auet* QU: *habet* O<sup>s</sup> in rasura: *habet* PLFABb+.
- 3, 6 *au eo* O\*V (*aeuo* Q): <sup>h</sup>*abeo* O<sup>c</sup>: *habeo* PLFABb.
- 3, 259 *auentem* O\*Q (*uentem* V): <sup>h</sup>*abentem* O<sup>c</sup> (*b* ex *u* corr.): *habentem* PLFCABb+.
- 2,267 *conciri* O\*Q: *conquiri* O<sup>c</sup> (*quiri* in rasura): *conquiri* PLFABb.
- 2, 684 *sorsum* O\*QV: *sursum* O<sup>c</sup> (*u* ex *o* corr.): *sursum* Pb, item tres Wakefieldii, Alteri Vindobonensis, impressi uetustissimi, nec dubito quin plerique Italici idem habeant, etsi Martinus et Buechnerus tacent.
- 2, 1116 *perfica* O\*Q: *perfice* O<sup>c</sup> (*e* in rasura): *perfice* PLFABb+.
- 3, 144 *momenque* O\*Q (*nomenque* V):  $\equiv$ *nomenque* O<sup>c</sup>: *nomenque* PLFCABb+.
- 3, 733 *adfine* O\* (*atfine* Q): *etfine* O<sup>c</sup> (*et* in rasura): *et fine* LFABb+ (*confine* P).
- 3, 839 *quibus e sumus* O\*Q: *quibus* <sup>h</sup>*esi* $\equiv$ *mus* O<sup>c</sup>: *quibus h(a)esimus* PLFABb+.
- 4, 869 *opturet edendi* O\*: *obduret edendi* O<sup>c</sup>, FCABb+ (*obdiuertendi* P; similiter errasse uidetur L).
- 4, 1194 *adsuctis* O\*Q: *adsuetis* O<sup>c</sup> (*e* in rasura): *assuetis* PLFABb+.
- 5, 406 *Quod proculauer animis est ratione repulsum* O\*, quae sanissima sunt modo uerba recte separentur (*procul a uera nimis est*). at corrector Oblongi inde ridicule effecit haec *a ueris animis*, idemque legitur in PLFCAB+ (*a uera est animi* B+, item editiones nonnullae uetustiores, in quibus Iuntina).
- 5, 502 *auris* O\*Q: *auras* O<sup>c</sup>, PLFCABb.
- 5, 727 *chaldeum* O\*Q: *chaldeam* O<sup>c</sup>, PLFCABb.
- 5, 1308 *moenere* O\*Q:  $m\equiv u\equiv n$ *ere* O<sup>c</sup> (*u* in rasura duarum litterarum): *munere* PLFCABb+.
- 6, 1 *frugiparos* O\*Q: *frugiferos* O<sup>c</sup> (*fe* in rasura): *frugiferos* PLFABb+.
- 6, 547 *disserpunt* O\*Q: *discerpunt* O<sup>c</sup> (*c* in rasura): *discerpunt* PLFCABb+.
- 6, 799 *lauabris* O\*QU: *laua* $\equiv$ *ris* O<sup>c</sup>: *lauaris* PLFABb+.
- 6, 890 *endo* O\*QU: *inde* O<sup>c</sup>, PLFAB+ (*omne b*).

nonnumquam correctorum Oblongi peccata in uno alteroue ex Italicis (praecipue in F eiusque adfinibus) coniectura emendata sunt:

2, 197 *ursimus* O\*QG: *urgimus* O<sup>c</sup> (*g* in rasura): *urgimus* PLABC+: *ursimus* Fb.

2, 326 *renidescit* O\*QG: *renitescit* O<sup>c</sup> (*t* in rasura): *renitescit* PLABC+: *renidescit* Fb.

Transeo ad alterum genus eorum locorum quorum uitia correctores cum tollere conarentur deteriora fecerunt. cuius generis exempla inprimis notabilia haec sunt:

4, 79 *scaenai* Lambinus] *scaenal* O\* (hoc est SCAENAI): *scaenali* Q (natum ex correctione *scaenal*<sup>1</sup>): *scaenalē* O<sup>c</sup>: *scenalem* PLFCABb+.

4, 1200 *salientum* Marullus] *sallentum* O\*: *fallentum* O<sup>c</sup>, PLFCb+ (*fallentem* AB).

1, 84 *triuui* at [hoc est TRIUIAI] O\*QG: *triuuē* ad O<sup>c</sup>; deinde alia manu pro *ē* substitutum est *ai* hoc modo *triuuē<sup>ai</sup>* ad, atque hanc scripturam expressit II: *triuuiai* ad LFCABb+ (*triuuiae* ad P).

1, 552 *materiai* Marullus] *materiae* O\*QG, sed in Oblongo *q*: additum a correctore; *materiaeque* Pb, item Wakefieldiani nonnulli et Lachmanni 'Itali et impressi'. itaque dubitari nequit quin etiam in LFAB *materiaeque* scriptum sit, quamquam tacent Martinus et Buechnerus.

4, 730 *per rara* Marullus] *per ara* O\*Q: *per āra* O<sup>c</sup>: *per aera* PLFCABb+.

2, 1153 *opinor enim mortalia* Gellius] *opinore immortalia* O\*QV: *opinoret immortalia* O<sup>c</sup>, Fb: *opinor immortalia* PLAB.

1, 646 *uno* Q<sup>c</sup>: *uro* O\*Q\*G: *ūro* O<sup>c</sup>: *uero* PLFCABb+.

1, 887 *quali* QG: *qualis* O\*: *quales* O<sup>c</sup> (*e* ex *i* corr.): *quales* PLFCABb+.

2, 278 *pellat* Auancius] *pallat* O\*QU: *fallat* O<sup>c</sup> (*f* ex *p* corr.): *fallat* PLFCABb+.

3, 132 *ad organiquos alto* V: *adorganicosaltu* O\*: *ad organicos saltu* Q\* (*saltu* Q prima manu correctus): *aborganicosalto* O<sup>c</sup> (*b* littera itemque ea quae postrema est in *saltu* in rasura scriptae sunt): *ab organico salto* PL (*saltu* CbA+, *saltum* B+, *sacro* F).

4, 989 *de palma* Lambinus] *de palmas* O\*Q: *de palm<sup>≡</sup>is* O<sup>c</sup> (*i* radendo ex a factum): *de palmis* PLFCA(B)b+.

4, 1170 *est si dicere* Q<sup>c</sup> ('*si* additum manu antiquissima' Lachmann): *esti<sup>≡</sup>* *dicere* O (littera post *esti* erasa): *estid dicere* O<sup>c</sup> (*d* a correctore insertum): *est id dicere* PLFCABb+.

5, 581 *minui* Bentley] *mi* O\*Q: *minimum* O<sup>c</sup>, LFABb+ (*nimum* P).

5, 742 *puluerulenta Ceres* Pontanus] *Puluerunt aceres* O\*: *P<sup>1</sup>oluerunt aceres* O<sup>c</sup> (*o* ex *u* corr.): *Polluerunt aceres* P(L)FCABb et olim impressi.

5, 823 *animal* Marullus] *anima* O\*Q: *animas* O<sup>c</sup>, PLFCABb+.

5, 995 *ulcera* Fcb] *uicerat* O\*Q: *u<sup>8</sup>icera<sup>≡</sup>* O<sup>c</sup>: *uiscera* PLB+.

6, 237 *pollens* Lambinus] *tellens* O\*Q: *tollens* O<sup>c</sup> (*o* in rasura): *tollens* PLFCABb+.

6, 364 *frigus et aestum* Marullus] *frigus aestum* O\*Q: *frigus<sup>id</sup> aestum* O<sup>c</sup>: *frigidus aestum* PLFCABb+.



Exempla satis multa collegisse mihi uideor quibus rem non nimis difficilem ad intellegendum declararem. nam *II* non ex alio nisi ex Oblongo codice oriundum esse summa utriusque scripturae in locis supra commemoratis congruentia clamat. omnia enim illa commenta temeraria quibus correctorum peruersitas pristinam Oblongi scripturam commaculauit, in *II* tam accurate perscripta fuisse apparet ut nusquam ne in una quidem litterula discreparent. quod nullo modo fieri potuisset, nisi *II* ex ipso Oblongo ortus esset.

Haec habui argumenta cur ita sentirem, libros Italicos prognatos esse ex Oblongo eoque iam correctorum qui medio aeuo fuerunt industria uel emendato uel corrupto. quae si recte disputata sunt, ut mihi quidem uidentur, necessario sequitur, quicquid in Italicis libris ab Oblongi scriptura discrepet, id nullam habere uetustatis auctoritatem, sed partim a librariis esse peccatum, partim coniectura nonnumquam probabili plerumque inutili atque peruersa nouatum esse a grammaticis Italis qui saeculo XV. floruerunt, acutis illis quidem uiris et naturali quodam elegantiae sensu praeditis sed qui saepissime nimis audacter praepropere inuerecunde tradita uerba mutarent. quibus rebus expositis quis est quin uideat infinitam illam librorum Italicorum uarietatem, qua Martinus Buechnerusque editiones suas magno cum taedio legentium emolumento nullo onerauerunt, omnem abiciendam esse, bona uero et probabilia, quae in illis libris inueniantur, eodem loco habenda esse quo recentium uirorum doctorum coniecturas.

Quo tempore codex *II* ex Oblongo descriptus sit, intellegi potest ex uestigiis quibusdam correctorum Oblongi quae in primo libro insunt. cum enim in reliquis quinque libris duae fere correctorum manus uersatae esse uideantur, quarum altera ab ipsius librarii manu non multum differt, altera eius est correctoris quem a scribendi genere Saxonicum Lachmannus appellauit, in primo libro praeter has duas manus antiquas aliae quaedam comparent aliquanto recentiores. quas manus etsi non semper internoscere potui, tamen recentiores ab antiquis plerumque non dubie discernere mihi uideor. nam illi correctores antiqui litteris fere minutioribus et nitide pictis usi sunt, nouicii autem grandioribus et minus elegantibus (interdum etiam deformibus) atque ipsa specie recentiore aetate indicantibus. mihi quidem ex litterarum ductibus coniecturam facienti ea quae a recentioribus manibus adscripta sunt saeculo decimo exeunte uel ineunte undecimo scripta esse uidentur. unus autem ex recentioribus correctoribus, qui etiam interpretis munere fungi studebat, uocabulorum interpretamenta nonnulla et exigua quaedam scholia inter uersus adscripsit. de cuius hominis doctrina satis iudicari poterit ex paucis quae hic adponam exemplis.

- 1, 4 concelebras] *id est temperas*
- 10 species ... uerna] *id est uernalis qualitas*
- 11 fauoni] *pro fauonii id est zephiri*
- 13 initum] *id est inceptionem*
- 103 desciscere] *id est nescire*

277 caeca] *id est quae uideri non possunt*

300 tuimur] *a tuor uenit*

464 Tyndaridem] *id est helenam*

639 clarus ob obscuram linguam magis inter inanes] *id est propter falsitatem locutionis inter consortes suos*

717 triquetris] *sicilia latine dicitur triquetris, graece trinacria propter tria promunctoria* [haec excerpta sunt ex Isidori Etymologiarum libro 14, 6, 32]

Interpres in incepto suo perstitit usque ad libri primi uersum 782; correctorum nouiciorum opera non ultra uersum 827 progressa est. quaecumque ab hoc uersu usque ad finem libri primi correctae sunt, omnia uel Saxonici uel alterius antiqui correctoris manu scripta sunt. quae quidem omnia *II* sine ulla uarietate est secutus. neque aliter se res habet in ea libri primi parte in qua praeter antiquos correctores recentiores quosdam diximus esse uersatos. nam ibi quoque *II* ea quae illi antiqui correxerunt semper accurate expressit; at earum mutationum quae a posterioribus correctoribus factae sunt, siue probae sunt siue prauae, nec uola nec uestigium apparet in *II*. uelut 520 quod in *O* manu prima mendose scriptum erat *si nihil est*, id recentiore manu (circa annum millesimum, ut puto) ita emendatum est *si nil esset*. in Italicis uero non hoc quod uerissimum est legitur, sed coniectura ineptissima *siquidem nihil est*. ex quo perspicuum est, eo tempore cum *II* ex *O* describebatur, illum locum in *O* nondum fuisse correctum.

453 *aquai* QG: *aquae* *O* manu prima, sed *e* litteram corrector aliquis *i* prae-longa talis fere formae *J* ita perfodit ut fieret *aquai*. cum autem PLFAB+ itemque olim impressi habeant *aquarum*, manifestum est Oblongi illud *aquae* tum nondum fuisse correctum cum *II* scribebatur, itaque Italum aliquem grammaticum ut uersum postrema syllaba carentem suppleret pro *aquae* posuisse *aquarum*. atque eadem inscitia ab Italis peccatum est 2, 490, ubi OQ errore uulgari *forma* habent pro eo quod debebat esse *formai*, Italici uero libri (PLFABb+) *formarum*. (*formai* primus nisi fallor restituit Lambinus.)

827 *que uni* *O* corrupte, item *II*; *queunt* recte superscripsit *O<sup>r</sup>* (id est recentior aliquis corrector).

651 *disiectisque supatis* *O*: *disiectisque<sup>disque</sup> supatis* *O<sup>r</sup>*; cuius emendationis expertem fuisse *II*, ostendunt LAB cum Oblongi scriptura nondum correctae consentientes, et *P* qui habet *disiectisque superatis*. (in FCb uera scriptura ex coniectura restituta est.)

711 *longi derrasse* QG: *longi errasse* *O\**, deinde *d* insertum manu a librarii diuersa. quod nondum erat factum cum *II* ex *O* describebatur; itaque in Italicis plerisque ut hiatus tolleretur scriptum est *longeque errasse* (sic LABb+ et olim impressi; *longeque emisse* *P* [*longeque emissa* in Bodleiano esse dicitur]; *longi errasse* *F* ut uidetur).

759 *ueneno* Wakefield] *ueneni* QU: *uene* *O\**, atque sic etiam PLA, ut id ipsum in *II* fuisse appareat. *uenena* *O<sup>c</sup>*; idem legitur in FCb, sed coniectando repertum, non ab *O<sup>c</sup>* acceptum.

467 *fuert* O\*Q\* (*fuert* Q<sup>c</sup>, *fuert* G): *fuert*<sup>vn</sup> O<sup>r</sup>. quam emendationem si Itali cognouissent sine dubio recepissent. uerum II quoniam scriptus est antequam recentior ille corrector Oblongo emendando operam dedit, non potuit non priorem exprimere Oblongi scripturam *fuert*, unde Itali fecerunt *fuere* (sic PLFCABb).

560 *numquam relicuo* O\*: id cum mendosum putaret corrector Oblongi recentior sic immutauit *numquam*<sup>de</sup> *reliquo*; quod Italos non improbaturos fuisse credo, nam ipsi alibi (3, 648) consimili imperitia *cum reliquo* posuerunt pro *relicuo*<sup>11</sup>. sed illud *de reliquo* quoniam codice II iam descripto inlatum est in Oblongum, non peruenit ad Italos; itaque hi, qui Lucretium *relicuo* quattuor syllabis extulisse nescirent, suo Marte correxerunt *id numquam reliquo* (sic PLFABb+).

680 *decidere* Lambinus] *descendere* O\*QG: *discedere* O<sup>r</sup>, quod etsi uerum non est, tamen intellegi potest; at Italice omnes (PLFABb+) tenuerunt id quod nullo pacto intellegi potest *descendere*.

659 *uer aula* O (sic etiam QG); inde corrigendo factum *uer aulai* [id est *uera uiai*] adscripta etiam interpretatione *id est ductus itineris*. II ignarum fuisse correctae scripturae apparet ex Italicis: nam in LAB legitur *uera ula*, in P *uera ulla*. (*uera uiai* Fb ex coniectura.)

Eiusdem generis alia exempla sciens praetermitto; nam id quod supra dixi, codicem II scriptum esse priusquam correctores Oblongi recentiores, qui circa annum millesimum fuisse uiderentur, in primo libro emendando adnotando operam posuissent, iis quae attuli exemplis satis uidetur esse confirmatum.

Quibus cognationis uinculis libri LFAB et inter se et cum  $\pi$  coniuncti essent, stemmate proposito primus recte explicauit Buechnerus p. XVIII. quem ut par erat secuti sumus, nisi quod nostro stemmate etiam libros P et C complexi sumus<sup>12</sup>. horum autem librorum PLFCAB indoles quo plenius cognoscatur, nonnulla interpolationis, qua penitus infecti sunt, proferemus exempla.

2, 553 *transtra cauerna* OQ

*transtra carinas* PL, item quinque Florentini ab Hosio (Rh. M. 69 [1914] 115) inspecti

*transtra carinam* FC


*curua carina* ABb, item Wakefieldii Poorianus et Britannicus 1.

hanc uarietatem consideranti facile apparet in  $\pi$  fuisse *transtra carina*, natum scilicet aut errore aut interpolatione quadam rudi ex *transtra ca<sup>u</sup>ina*; quod quo-


<sup>11</sup> 3, 648 *corpore cum reliquo* legitur in PLFb+, hoc est, nisi fallor, in Italicis omnibus, quamquam propter Forbigeri Martini Buechneri silentium nihil certi adfirmare possum.

<sup>12</sup> Codicis b qui nullum certum locum obtinet in stemmate rationem non habui. nam ut plerumque cum FC facit, ita nonnumquam accedit ad AB (raro propria quaedam habet); quae res indicio est eum esse contaminatum. – Quod nuper uir quidam doctus confidenter adfirmavit (Hermes 94 [1966] 504) codicem P manu Nicolai Niccoli ciuis Florentini, cui Poggius anno 1418 codicis Lucretiani a se inuenti apographon miserat, scriptum esse, id simulacris aliquot paginarum ab illo Nicolao scriptarum inspectis perquam dubium nobis uideri profiteamur; quod uero idem uir doctus adseueravit codicem L ex P esse descriptum, uehementer errauit.

modo deinde per uniuersam horum librorum gentem manauerit et alibi aliter corrigendo mutatum sit, ut euidenter ostendam, stemmatis artificio utar.



6, 324 *percunt* O\*Q (*percurrunt* emendauit Lachmann): *pergunt* O<sup>c</sup> (*g* ex *c* corr.), PL itemque sex Florentini apud Hosium p. 116. ceteri multa conati sunt ut uersum mancum quoquo modo possent resarcirent: *iam pergunt* FC, item duo Vaticani apud Munronem; *dispergunt* AB, item Poorianus et Britannicus 1.; *sic pergunt* b; *pergunt sic* Marullus, ed. Iuntina; *pergunt ubi* editiones antiquissimae Brixienensis Veronensis Veneta.




6, 1285 *subdebantque fauces* O\*QU  
*que eras.* O<sup>c</sup>  
*subdebant fauces* PL<sup>13</sup>

<sup>13</sup> Quemadmodum hic locus in libris LFAB legeretur, Buechnerus u. cl. officiose certiore me fecit.

*subdebantque fauces* FC

*sudabant fauces* ABb.

corrector Oblongi ut uersui claudicanti opem ferret, *-que* particulam erasit sententiae negligens. quem secuti sunt PL; at *a* non opportune memor eorum quae paulo ante uersu 1147 legerat, absurde scripsit *sudabant fauces*. uerum esse *fauces* intellexit  $\varphi$ ; quo reperto non difficile erat particulam et uersui et sententiae necessariam restituere.




6, 332 *per rara* OQ

*per ara* PL, item quinque ex Florentinis Hosii

*per aperta* FC (item b sed omisso *per*)


*per strata* AB, Britannicus 1.




<sup>14</sup> Uitium utrum in  $\pi$  an iam in *II* natum sit discerni nequit.



- 6, 1138 *mortifer aestus* Macrobius  
*mortiferae* OQ, PL  
*mortiferai* Cb  
*mortifer aer* AB, Britannicus 1., haud inscite  
*mortiferentum* F.



- 6, 1220 *tristia* Macrobius  
*tia* OQU, PL  
*fortia* FCb+  
*ulla* B (ex superiore uersu)  
*iam quoque* A.



- 4, 1282 *secum* OQ, PL (etiam quinque Florentini apud Hosium)  
*secum quoque* AB (=  $\alpha$ ), Britannicus 1.  
*uir secum* FC (=  $\varphi$ ), b.  
4, 66 *hiscendis* O\*Q  
 $\equiv$  *iscendist* O<sup>s</sup> (st in rasura)  
*ostendist* (uel *ostendi est*) LFCABb+  
*ostendit* P+, item impressi uetustissimi.  
4, 103 *hiscendist* O\*Q  
 $\equiv$  *iscendist* O<sup>c</sup>  
*ostendist* PLFABb.

Plurima praeterea tibi possum commemorando usque exempla fidem dictis conradere nostris. sed sapienti qualem te qui haec legis esse confido, ea quae dixi satis et fortasse iam nimia sunt.